Gorlicki Victorini: Quaestio philosophica de unitate analogiae.

QVÆSTIO PHILOSOPHICA

DE

Vnitate Analogiæ

Publicè ad defendendum proposita.

A

M. VICTORINO GORLICKI,

In Magna D. Iagellonis Aulâ Lectorio DD. Theolog.

Permißu Magnifici Dñi RECTORIS.

Anno Domini, 1649. Die 29 Martij.

CRAC. Valerianus Piątkowſki Impreſſit.


PRÆMIUM
VIRTUTIS
HONOR
GLORIA

AMICO DEI
DIOANNI CANTIO
DOCTORI S. Th.
in Academia Cracouiensi profundissimo Patrono Vniuersæ Poloniæ vigilantissimo Parenti Maximè Venerando.

M. VICTORINVS GORLICKI Cultum Duliæ.

QVęstionem de Analogia perdifficilem, et perobscuram: necessariam tamen ad Physicę, Metaphysicę, atq; Theologię penetrandas difficultates, Tibi dedicare, cum submissa animi deuotionê complacuit. Doctoris conatus est, pręstolari iucundè Discipulorum confluxum, cum profundissimis difficultatibus. Desideratissima et amęnissima occupatio, Studiosos Doctrinarum ambigendi alacritatem habentes: et paternè auscultare, et prudenter moderari, et dextrè sudare in promouendâ messi intelligentię, nauantium operam literis, diligentissimè. Ergo esse officij mei intellexi, nodum Philosophię solidum Tibi soli dedicandum, qui Pręceptor Academicorum agnosceris, Paterq; inuocaris. Nam qualis ille Discipulus,

*qui gnarus Professoris propositi, perperam illud tra-
ctat? Prudentissimè Philosophus in Philosophia Mo-
rali commendat sedulam obseruationem coniunctarũ
societatum, quoniam illis variatis, variatum forè sta-
tum Reip. facillimum, erit assentiri. ADdidit preterea
animum correspondendi Tuo Sanctißimo Beneplacito
labor Tuus immensus, cui Te, totum dedicaueras. E
cuius numerô. Exiguus erat, noctes insomnes ducere,
vt modo tricis Philosophicarum Disceptationum pe-
netratis: profectum virtutis et laboris in surculis A-
cademię seminasses. Medicus iudicabatur, Dogmata
Mathęi cęlestis styli candidißimi quatuor tractatib9
et sapientissimè, et facillimè comprehendere, vt erudis-
ses intelligentiã eruditorũ. Mediocris, volumen con-
cionum, Spiritus Sanctiß: prolem fęcundissimã orbi v-
niuerso parturire, vt recreasses eundem, felici partu.
Quare Doctor Optime Ioannes Canti, sit obsecro cu-
rę Tibi, hęc mea permolesta controuersia, quoniam
contemplationem Tuam circa attributa Diuina occu
patam, non impediet. Esto contentus hac, illaq: pri-
mâ testificatione publicâ, affectus submissi, siquidem,
et si res: animus tamen potißimum in offerendis mu-
neribus profundè trutinatur.*

Qvæ-

D. O. M.

QVÆSTIO
PHILOSOPHICA
DE VNITATE ANALOGIÆ.

V. Præter vnitates Eſſentialem & Accidentalem, ceu fundamenta Intentionum Genericæ ſpecificæ atq; Differentialis: aſsignari debeat vnitas Analogiæ, ſufficiens ad Conſtituenda ſcientiarum ſtrictè ſumptarum Obiecta Formalia Quæ, Conceptumq; tam obiectiuum, quam Formalem à ſuis inferioribus perfectè Præciſum excludens. Necne?

CONCLVSIO I.

Vnitas Essentialis & Accidentalis in rerum Natura datur.

COROLLARIA.

1. *Vnitas Essentialis in ratione vnitatis per abstractionem intellectus Agentis constituitur.*

2. *Dicta vnitas est radix atq; Principium vniuocationis.*

3. *Æqualiter respicit sua inferiora in quibus reperitur, & à quibus abstrahitur.*

4. *Conceptum tam Formalem quàm obiectiuum à suis inferioribus perfectè præcisum habet.*

5. *Accidentalis ex concursu plurium Accidentium enumeratorum à Porphirio capite de specie, consurgit.*

6. *Ad constitutionem vnitatis dictæ ita concursus plurium Accidentium in vno Indiuiduo reperitur, vt similis in alio simpliciter dari non possit.*

CON-

CONCLVSIO II.

In vnitatibus Essentiali, & Accidentali, intentiò Generis, Speciei, & Differentiæ fundatur.

COROLLARIA.

1. *Dictis vnitatibus Ratio fundandi Genera, Species atq; Differentias proximè & remotè conuenit.*

2. *Vnitas specifica & Differentialis immediatè ex accidentali: Generica mediante specificâ, consurgit.*

3. *Vnitas Generica à Materia, Differentialis à Formâ, specifica ab vtraq; vnitis inter se Essentialiter sumitur.*

4. *Vnitas Generica & specifica non datur à parte rei, sine adminiculo Intellectus.*

5. *Vnum transcendentaliter Analogicè, & Æquiuocè: vt Naturæ Communis expers est, ita ineptum ad fundandas Intentiones secundas.*

6. *Vnitas secundo Intentionaliter accepta quoties definitur, à Logicis definitur principaliter & in Recto, in ordine tamen ad Primam.*

CONCLVSIO III.

Præter vnitatès Essentialem, & Accidentalem Analogica de facto datur.

COROLLARIA.

1. *Vnitas Analogica propriè dicta seu Logica. Alia est Attributionis seu Proportionis. Alia Proportionalitatis.*

2. *Ratio Analogiæ Attributionis licet sit frequentior in significationibus Nominum, Proportionalitatis tamen est Nobilior.*

3. *Vnitas Analogica Attributionis habet Analogiam secundum intentionem & non secundum Esse: Proportionalitatis secundum vtrumq;*

Analo-

4. *Analogia Proportionalitatis Alià Propriè Alià Methaphoricè talis.*

5. *Analogia Proportionalitatis proprìè accepta in omnibus Analogatis intrinsecè inuenitur: Metaphoricè in vno intrinsecè in alijs extrinsecè.*

6. *Analogia Inæqualitatis cum vniuocatione coincidit, & ad illam est reuocabilis.*

CONCLVSIO IV.

Vnitas Analogica ad constituenda scientiarum strictè sumptarum Obiecta Formalia Quæ? est sufficiens.

COROLLARIA.

1. *Ad multiplicationem Obiectorum Materialium Genere & Specie distinctorum, non est necesse, multiplicari habitus scientificos.*

2. *Scientiæ non sunt collectiones specierum,*

aut

aut habitus ex pluribus compositi: sed simplices quædam Qualitates, extendentes se ad omnes suas Conclusiones.

3. *Scientiæ simplicitatem dictam, quanquam ex Obiecto Formali Quæ: maximé autem à ratione Formali sub Qua desumunt.*

4. *Rationem Formalem sub Qua constituentem scientias, siue referas ad diuersitatem Luminum, siue Abstractionum, siue Principiorum, non errabis.*

5. *Vnitas Obiecti in Genere Entis, non excludit multiplicitatem in Genere scibilis.*

6. *Obiecti in Genere Entis spectati perfectio sumitur ex ordine ad existentiam & operationes. In Genere Scibilis ex ordine ad Potentiam & habitum.*

CONCLVSIO V.

Vnitas Analogica, non habet vnum Communem Conceptū tàm Obiectiuum, quàm

Forma-

Formalem perfectè præcisum à suis inferioribus.

COROLLARIA

1: *Conceptus Vnitatis Analogicæ confusè & implicitè res omnes sibi subiectas significat: expresse nullam.*

2. *In ordine ad Ens rei & rationis, neq; est Ens Rei, neque rationis: è contra ad Deum, & Creaturas.*

3. *Neque est omninò vnus, neq; omninò diuersus: sed partim vnus, partim diuersus.*

4. *In descensu ad sua inferiora admittit ordinem Prioris, & Posterioris.*

5. *Imperfectio eius atq; inadæquatio consistit ex parte repræsentationis suorum Inferiorum.*

6. *Conceptus vnitatis Analogicæ vt non manet in potentia ad sua inferiora, ita non est contrahibilis per additionem Conceptus Differentialis.*

Soli Deo Honor &
Gloria.